



Eminentissimi Ac Reverendissimi Domini, D. Joannis Baptistæ, Cardinalis De Luca, Theatrum Veritatis Et Justitiæ, Sive Decisivi Discursus

Ad Veritatem Editi In Forensibus Controversiis, Canonicis & Civilibus, in quibus in Urbe Advocatus, pro una partium scripsit, vel Consultus respondit ; Cum Indicibus Argumentorum, Causarum ac Rerum luculentissimis. Opus Tam Judicibus, Quam Causarum Patronis, atque omnibus in utroque Foro ...

De Fideicommissis, Primogenitvris, Et Majoratibvs

Luca, Giovanni Battista de

Coloniae Agrippinae, 1690

Disc. XXVI. Pistorien. fideicommissi de Cancellariis. De eadem materia, An sub nomine Filiorum & descendentium masculorum veniant solùm masculi agnati per masculum, vel etiam masculi cognati per ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74060](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74060)

tit, vel religioni, vel juris naturalis, seu gentium observantia attributa sit voluntatis morientium observantia; Attamen quoad mediatas dispositiones quas fideicommissarias dicimus, longum praesertim ac successivum seu reiteratum tractum habentes; pariter habita fuit difficultas, ob quam usque ad tempora Augusti praecisa necessitas restitutionis, ac legis coactio inducta non fuit, à dictis temporibus statuta; Quod summè in proposito observandum venit pro benigna quo magis fieri potest dispositionis interpretatione ad favorem proximorum de sanguine, quibus natura, seu omnium nationum usus ex naturali communi impulsu bona morientis deserit, potissimum verè ad filios, ac descendentes ejus qui fuit ultimus eorum possessor & dominus; Non quod ista consideratio sufficeret, quando testatoris voluntas esset clara, sed pro benigna, ut dictum est, interpretatione in casu ambiguo.

Non deducebam tamen istud motivum scribendo in causa tanquam Advocatus, ne mihi objiceretur solita cantilena, quod hæc essent ratiocinia, ac proprii ingenii distinctiones, & argumenta absque auctoritate quæ id firmet, quæ si quod si aliquis barbarianus, qui prius scripsit, id allereret, tunc esset casus legis.

Ex hinc atque, ac aliis in dicto hujus partis restrictu, de quo in calce deductis, patere videtur. Vel quod non bene conclusa limitatione, regula quæ huic parti assiluit remaneat in suo vigore, ac operatione; Vel saltem casum remanere ita probabiliter dubium, quod dum una resolutio jam capta erat, non mereretur recessum, sive quod dicto temperamento digna esset; Quæ tamen omnia in hac forma discursiva insinuata sunt, cum in re ita ambigua, omnino certum ac præcisè determinatum iudicium super unius vel alterius resolutionis positiva insubstantia non de facili dare liceat, praesertim vero, ut sæpius dictum est, quod Advocati, à causæ atque clientis affectione intellectum sæpè aliquantulum fascinatam habere solent.

PISTORIEN. FIDEICOMMISSI DE CANCELLARIIS

PRO

JO. DOMINICO DE BRUNNOZZIS

CVM

MARCHIONE PAULO DE BUBALO

Responsum pro veritate.

De eadem materia, An sub nomine filiorum & descendentium masculorum veniant solum masculi agnati & per masculum, vel etiam masculi cognati per feminam.

SYMMARIVM.

- 1 *Facti series.*
- 2 *De regula ut sub nomine masculorum veniant masculi tam agnati quam cognati.*
- 3 *De contraria opinione, ut non veniant nisi masculi per masculum.*
- 4 *Ad text. in l. si viva matre, & de filio excludente matrem.*
- 5 *Declaratur quando procedat limitatio regula de qua num. 2. quando contemplata est agnatio.*

6 *Quod femina diligant familiam & agnationem virorum tanquam propriam.*

7 *Quando duo familiae provenientes ab eodem stipite dicantur diverse.*

8 *De alio casu controversia in quo de eodem articulo actum est.*

9 *De conclusione, ut successio debeat esse in suspensio donec durat spes seu potentia personarum prius vocatarum.*

DISC. XXVI.

B Accius de Cancellariis, instituta Proserpina sorore, substituit Franciscum de Cellis ejusdem Proserpinae filium, cum perpetuo successivo fideicommissio in ipsius Francisci filii & descendentes masculis in infinitum, quibus omnibus deficientibus, in quodam pradio, ac etiam in quodam jure patronatus, substituit Marchionem de Bubalo omnesque ejus filios & descendentes masculos in infinitum, assignata ratione, quia familia de Cancellariis & familia de Bubalo sunt de eadem consortoria, Ac etiam in recognitionem substitutionis, quam de ipso ejusque descendentes fecerat Octavius de Bubalo ut disc. præcedenti; Cum autem ex dicto Francisco fuissent superflites Joannes Baptista & Hortensia, primo defecto sine prole, atque ex altera superflite Joanne Dominico de Brunozzis, præfatus Marchio de Bubalo credit factum esse casum suæ substitutionis, unde desuper ex parte Brunozzii pro veritate consultus, an scilicet primus substitutionis gradus conceptus de filiis & descendentes masculis dicti Francisci sibi conveniret in exclusionem dicti ulterioris substituti.

Respondi affirmativè, quoniam cum primus substitutus, cuius filii ac descendentes vocati sunt, non esset testatori agnatus sed cognatus per feminam, & de aliena familia, de plano intrat magis communis opinio, quæ ex cons. 85. Fulgof. hodie recepta est pro regula, ut sub nomine filiorum & descendentium masculorum, spectato solo sexu, & non curato medio, veniant omnes masculi, tam agnati quam cognati, cum ita ob diversitatem familiae inter testatorem & vocatos urgere non videatur ratio contemplata agnationis, ob quam à dicta regula receditur, juxta trium casuum distinctionem deductam supra in Placentina disc. 24. in quorum secundo versabamur, unde propterea casus videbatur planus, potissimè quia, ut infra, nihil urgere videbatur, quod præfata regulæ limitationem suaderet.

In mihi communicatis informationibus scribentium pro Marchione longæ continebantur digressiones desumptæ ex Laderchio cons. 153. & Decian. cons. 127 volum. 3. super opinione, quod sub nomine masculorum non veniant nisi masculi agnati & per masculum, nimium se diffundendo super dispositione textus in l. si viva matre Cod. de bonis matrem. ut insecta primitiva, dicatur etiam insecta derivativa, quodque filius non possit esse melioris conditionis, quam mater, seu causatum, quam causa; Verùm hæc objecta parvipendenda censui; Tum quia cessante motivo contemplationis agnationis, quidquid ex sententiâ Castrens. & sequacium teneant Laderch. & Decian. ubi supra, ac alii recentissimi in d. Placentina disc. 24. hodie ut dictum est, contraria opinio passim recepta est pro regula; Tum etiam quia regula textus in d. l. si viva matre procedit in concursu eorum, quorum gratia & intuitu in eodem genere feminae sunt exclusæ;

F 4

tunc

eLUCA
de
lamentis
beat.
CVI
9

tunc enim rectè intrat dicta propositio, ut infecta primitiva, sit etiam infecta derivativa, & in his terminis loquantur omnes in huiusmodi propositione vim constituentes; Secus autem ubi concursus est cum diverso genere personarum, per posterius, ac subsidiariè vocato post defectum genus descendendum masculorum primi instituti vel substituti, quoniam non implicat feminas esse incapaces, vel exclusas in concursu masculorum, Et tamen earum filios esse capaces & vocatos etiam in propria matris exclusionem juxta solemnem decisionem *Ancharani & Floriani plurimumque DD, Bononiensium reatum apud eundem Ancharan. conf. 359.* de qua in specie supra in *Romana fideicommissi de Ursinus seu Blanchini disc. 11.*

Inhibebant etiam dicti scribentes in motivo contemplata agnationis, qua concurrente recepta est limitatio ex deductis in eadem *Placentina disc. 24.* & in *Romana de Bubalo disc. precedenti*, talem contemplationem deducendo ex assertione testatoris, quod familia de Cancellariis ac familia de Bubalo essent eadem, seu, ut ibi dicitur, de eadem consorteria, quod ex Chronistis aliisque demonstrationibus bene probabant, & qua occasione id ad meam devenit notitiam, quando adhuc vivente prefato Marchione, non contigerat casus questionis contentæ dicto *disc. precedenti*, quam ejus mors excitavit, ipseque petens consilium hanc veritatem agnoscebat, unde istud solum videbatur motivum considerabile.

Verum neque illud obstat respondi ex duplici medio seu motivo; Primò quia tunc in proposito urget ratio contemplata agnationis inductiva dictæ limitationis, seu restrictionis ad solos masculos agnatos & per masculum, quando ratio contemplata agnationis urget in illo genere primo vocato, ob cuius defectum processum sit ad vocationem alterius generis etiam agnatiivam quamvis remotioris, ita demandando continuationem bonorum in eadem agnatione cum solo ordine seu prælatione linearum plus & minus dilectarum juxta casus, de quibus supra in *duobus discursibus proximè precedentibus*, Et in his terminis loquantur omnes huiusmodi limitationem firmantes, quod in præfati dici non poterat, dum in primo genere vocato utpotè cognatiivam absq; aliquo onere assumendi testatoris familiam, non cadebat ista contemplatio, quia testator erat de diversa familia; Et sic non ex eo quod post defectum genus cognatiivum & descendendum, testator subsidiariè vocet genus agnatiivum suorum transversalium, resultat quod in primo genere dici possit contemplata agnatio, de qua tale genus non erat.

Et licet non implicet testatorem de diversa familia diligere familiam hæredis, quem constituit stirpem descendentiæ masculinæ, in qua perpetuum fideicommissum ordinavit, juxta ea quæ motivantur *d. disc. 11.* ac etiam in *Romana fideicommissi de Pontianis seu Magdalenis disc. sequen.* At tamen hæc voluntas in dubio non præsumenda, iustificanda est per extrinsecas probationes vel saltem per efficaces præsumptiones & conjecturas in præfati non concurrentes, Potissimè ubi non urget ea ratio, quæ ponderatur *d. disc. 11.* quod scilicet agatur de fideicommissio ordinato per mulierem cum ejus filiis masculis, quia cum de usu præfertim Italiæ, scemina nupta de facto transeat in virorum familias, de quibus denominantur magis quàm de propriis, ita contemplari videntur ac diligere illam agnationem seu familiam tanquam propriam, quæ ratio in præfati non cadebat, cū ageretur de nepote ex sorore.

Et secundò, quod licet originariè istæ duæ fami-

lia proveniant ab eodem stirpe, nihilominus longam sæculorum divisionem cum divinatione nuncupationis quam insignium, ita effecta fuerunt diversæ juxta *conf. Socini inter conf. Carr. sem. conf. 40.* communiter receptum, juxta ea quæ hac materia diversitatis familiarum ab eodem stirpe descendentiæ, & quæ antiquitus unam eandemque familiam constituebant, habentur in *Romana primogenit. de Capizuchis disc. 50.* Atque hoc motivo magis deinde me confirmavit per disputationes habitas in *d. Romana primogenit. de Bubalo disc. preced.* dum in eo casu testator potestatos nedum agnatos, sed etiam cognatos, vocavit eadem ratione, sed eis injunxit onus assumendi nomen & insignia de Bubalo, atque ita stirpem familiam fictè seu artificialiter renovandi, ergo agnovit, quod per veritatem essent diversæ.

Idem pariter pro veritate respondi ad factum masculinorum cognatorum per feminas ut verum sub nomine filiorum & descendentiæ masculinorum in exclusionem uterioris substituti, in *aliqua Pistorien. fideicommissi de Baldu* pro exclusione *Humilitatis*, quam Bartholomæus de Baldis vocat defectus filii ac descendentiæ masculinæ Antonii ex fratre germano nepotis hæreditis, ut si quemvis defecta esset linea masculina in parte dicti Antonii nepote adhuc neque factus esset usus dictæ substitutionis, Tum ob existentiam masculinorum de Bonifantis descendentiæ à Margaria ejusdem Antonii filia, Tum etiam ob potentiam seu possibilem existentiam masculinorum cognatorum à filiabus dicti Joannis ultimi de linea masculina, ex quarum parte fui consultus, quoniam iste casus majorem haberet difficultatem quantum de quo supra in dicta alia *Pistorien.* quælibet & primus hæres erant de eadem familia & agnatione juxta distinctionem de qua in *d. Placentina 24.* sed quia nulla alia concurrebat conjectura contemplata agnationis, quinimò potius aliquæ concurrere videbantur contrariæ suadentes, ad visum non est recedere à regula in exclusionem uterioris substituti extranei.

Remanebat verò solum difficultas inter dicti Joannis filias adhuc innuptas, ac præfatos masculos de Bonifantis descendentes à Margaria filiam hæreditis, an scilicet istis tanquam masculinæ successio aperta esset, non curata potentia, seu possibili existentia masculinorum à dictis puellis cognatorum; Super hoc autem formiter non scriptum est, prore desuper non requisitus; Probabilissimum credebam respondendum esse pro suspensione, nec duraret dicta spes, seu potentia ex prærogativa lineæ in quam bona ingressa fuerant, ex his, quæ habentur deducta supra in *Ferrarien. fideicommissi de Franchis disc. 9.* potissimè quia agebatur de fideicommissio simplici, in quo dicta conclusio suspensio videtur absoluta, cum difficultas, per unam opinionem (adhuc tamen extra *Majorat. Hispaniæ* minus verum) cadat in primogenitum majoratibus, ex his, quæ habentur *Bononiens. primogenit. de Luparis disc. 7.* Cum enim omnes masculini tam extantes, quam sperati essent æque cognati æque aequalis conditionis, neque urgeret contraria testatoris voluntas impediens dictam suspensionem, extrare videbatur de plano conclusio de linea hæreditis ingressa non excludenda, donec sequatur omnimoda illius evacuatio, quæ sequuta non dicitur, quæ subest spes, seu potentia, ut supra.

Multo magis dictam suspensionem adhibendam esse dicebam in hac facti specie, quia

Et puella providenda erant de dote, ex praecepto restatoris constanda ex fructibus, quia dicta suspensione durante bene cumulari poterant, ut alibi etiam in proposito hujus effectus ex hujusmodi suspensione resultantis advertitur.

ROMANA.

FIDEICOMMISSI DE PONTIANIS

S E V

MAGDALENIS

I N T E R

SORORES DE MAGDALENIS,
earumque respectivè filios.

*Discursus pro veritate ad parandam
concordiam.*

De eadem materia, An scilicet in fideicommissis ordinatis pro filiis & descendantibus masculis veniant solum masculi agnati & per masculum, vel etiam cognati per feminam.

S V M M A R I V M.

- 1 *Falsi series.*
- 2 *De ratione, ob quam credendum non est consulentibus, & in fine.*
- 3 *Quis esset punctus controversia.*
- 4 *De regula, quod sub nomine descendantium masculorum veniant omnes, etiam cognati per feminam, & de limitationibus remissivè.*
- 5 *Quod in fideicommissis ordinatis per feminam non intrat contemplatio agnationis, & quando etiam isto casu intrat.*
- 6 *Præceptum renovandi familiam est magnum argumentum contemplatæ agnationis, & e contra illius omisso eam excludit.*
- 7 *Verba per directam lineam, an importent restrictionem ad lineam masculinam, & masculos per masculum.*
- 8 *De propositione, quod deferendum est doctrinis specialibus.*
- 9 *De quibus doctrinis, seu auctoritatibus habenda sit ratio, & de quibus non, præsertim de consulentibus, & num. fin.*
- 10 *Examinatur auctoritas Menoch. super concl. de qua num. 7.*
- 11 *Non est deferendum Doctoribus se fundantibus in doctrinis non facientibus ad rem.*
- 12 *De intellectu verborum, de quibus supra num. 7.*
- 13 *Masculi agnati vocati censentur prælative ad cognatos, sed non taxativè.*
- 14 *Expenditur argumentum discretivè.*
- 15 *Qua regula dari valeat in hac materia conjecturali.*
- 16 *Quomodo mediator se gerere debeat.*
- 17 *De suspecta auctoritate consulentium, de qua num. 9.*

D I S C. XXVII.

V Annotia de Pontianis unicam habens filiam Baptistam, quæ duos habuerat viros, unum de Magdalenis, ex quo duos habebat filios, Petrum & Julianum, & secundum de Crescentiis, ex quo

pariter duos habebat filios, Joannem Baptistam masculum & Panthasileam feminam, instituta hærede dicta Baptista filia, eidem substituit dictos tres ex ea nepotes masculos, cum fideicommissis perpetuo & reciproco inter cujuslibet filios & descendentes masculos respectivè, ac etiam de linea ad lineam; Omnibus autem masculis per directam lineam deficientibus, vocavit filias feminas ex eis per directam lineam descendentes, & istis deficientibus sine filiis, vocavit alias feminas proximiores, quibus omnibus masculis & feminis deficientibus, vocavit filias feminas dictæ Baptistæ, earumque filios & filias in infinitum, eandemque substitutionem cum modica diveritate ordinavit in quibusdam legatis, quæ fecit præfatis Petro, Juliano, & Joanni Baptistæ ex dicta filia respectivè nepotibus; Cumque Petrus obiisset sine prole, ut etiam obiit Fabius dicti Joannis Baptistæ filius, unde omnia dicta testatrix bona cadentia sub hereditate & legatis in vim dictæ reciproca consolidata fuerunt in dicto Juliano de Magdalenis, istius linea masculina nuper defecta in Pompeo ejus nepote ex Julio filio, ex quo fuerunt superstites quatuor filiae femine, quorum duæ respectivè nuptæ Capranicæ & Maximo, habebant filios masculos, alia vero duæ nuptæ Roccio & Riccio, vel in totum, vel respectivè prole masculina carebant; Hinc orta est extrajudicialis controversia, An defecta linea masculina, dicta bona effecta essent libera in dicto Pompeo ultimo, unde propterea aequaliter spectarent ad dictas quatuor filias aequè hæredes. Vel potius fideicommissum adhuc duraret in filiis & descendantibus masculis, quamvis cognatis per feminas, itaut Capranicæ & Maximi duarum filii, matres ac materas excluderent; Cum autem ego essem omnium contendendum, earumque patris Advocatus, & aequè benevolus, Idcirco pro neutra partium Advocati partes assumere volui, sed bene illas mediatoris, & amicabile compositoris, Et quoniam earum respectivè Advocati, juxta frequentiore usum responsa ad requirentium favorem dederunt, unde quilibet credebatur esse in tuto, (& ob quam rationem, ut alias frequens est mea dicendi consuetudo, nunquam animum vel intellectum captivare potui ad deferendum Consulenti auctoritati) idcirco ut honestam concordiam pararem, discursum eisdem exitivum difficultatum hinc inde urgentium, ut ita agnoscentibus partibus, cujuslibet respectivè jura esse in ambiguo, effugerent in certam litis aleam, atque ad concordiam devenirent cum honesto temperamento.

Punctus igitur controversiæ in eo consistebat, an sub nomine filiorum & descendantium masculorum, ad quorum favorem dictæ substitutiones erant ordinatæ, venirent solum masculi agnati, & de linea masculina primò vocatorum, vel etiam cognati, & de linea feminina; Si enim substitutio restricta esset juxta primam partem ad solos agnatos, ita resultabat fideicommissi expiratio, ac bonorum libertas, secus autem e converso; In hoc autem, etiam scribentes pro feminis prætendentibus expirationem fideicommissi, admittebant pro regula magis communiter receptam opinionem, quæ vulgò tribuitur *Fulgos. conf. 8.* ut sub nomine masculorum veniant omnes tam agnati quam cognati spectato solo sexu, potissimè dum agebatur de fideicommissis activè feminino, utpotè ordinato per feminam, qualis est casus præcisus, de quo agit *Fulgos. de conf. 85.* Insistebant verò in limitationibus dictæ regulæ

eLUCA
de
amentis
beat
CVI
9